



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 1. Symbola.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XXVI. POTESTAS.

*Ea in bonum, non malum, utere.*

**I**n consilium eorum non veniat anima mea, & in catu illorum non fit gloria mea. Gen. 49. 6. Abhorret talem gloriam: quia eorum tota potestas, & fortitudo, se ostendit in destructione Sichimitarum, nulli parentes. &c. Sylveira addit, in Joan. 2.

*Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis* Eth. 5. 6. *Quidquid petieris, dabo tibi.* Marci 6. 23. Utrique idem promittitur. Sed Esther, potestate à rege accepta, utitur in libertatem totius populi Hebræorum morte condemnati: hæc verò capite Joannis B. amputandò abutitur. Potestas probis data in aliorum bonum cedit; iniquis, damnum iustis, & toti Mundo, infert. Sylveira in Marci. 6. c. 32.

*Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. sed potius timete eam, qui potest & animam &c.* Matth. 10. 28. Nota cum Ambrosio l. 1. de pœnit. c. 2. Cum de tyrannis agit, dicit, *qui occidunt corpus*; cum verò de Deo, non ait, *qui occidit*, sed *qui potest*. Homines non modò possunt mala inferre, sed sæpe verè inferunt: at verò Deus, contentus suâ potentia castigandi, & damnandi, eam non producit in actum. Pinna Ethol. 260.

*Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* mox sequitur: *venite ad me omnes.* Matth. 11. 27. 28. Insinuat causam potestatis, ut omnibus scilicet beneficiat. Sylveira hic c. 20.

*Data est mihi omnis potestas euntes ergo*

*docete &c.* Matth. 28. 18. 19. Novarinus, quis verborum nexus, quæ consecutio ista est? *data est mihi omnis potestas*: ergo *docete omnes gentes*. Injuriarum memor dixisset: potestas mihi data est: ergo pœnas luent, qui in me sevierunt. Non dixit illud Christus injuriarum oblitus; quarit omnium salutem. Didac. Niff. Phœn. Græc. l. 7. c. 6. Cur non etiam ait in Inferno? ut homines magis ad se traheret cœlesti præmiò, quàm metu pœnæ gehennalis. 2. ut declaret, potentiam suam maximè esse in benefaciendo, & nemini nocendo. Sylveira hic c. 9.

*Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Joan. 13. 3. Sciebat enim, quòd in manu sua ipsos etiam persecutores haberet; ut ipsos in se ad usum pietatis intorqueret, quidquid eorum malitia contra se permissa sæviret. S. Gregor. mor. l. 6. in Cat. S. Thomæ. Data ei potestas, non ut destrueret; sed ut omnia in bonum, & salutem, converteret. Sylveira hic.

*Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te.* Joan. 19. 10. Potestas ejus priùs ad nocendum: è contra divina potentia Marci. 16. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Mala potestas, licere, quòd noceat: potestas ista tenebrarum est. S. Ambros. in Pf. 110. f. 20. Sylveira Addit, in Joan. 19.

## TITULUS XXVII. PRÆCEPTA DEI.

§. I.

*Symbola.*

**Q**uærent hominem scientem psallere citharâ. 1. Reg. 16. 16. Decachordi positio Decalogi legis est observatio. S. Rupertus Abb. in 1. Reg. 28.

*In psalterio decem chordarum psallite illi.* Pf. 32. 2. S. August. hic: per psalterium decem chordarum intelligit decem præcepta. Sed cur Legem psalterium vocat? Quia lex, ut ait Aug. cum júbilo, & lætitiâ, implenda est, non timore. Pinna Ethol. 23.

*Sicut pisces capiuntur hamò.* Ecclâ. 9. 12. Rete malum est è multiplici vitio, ac iniquitate, contextum. Est & rete bonum; sagena scilicet è præceptis Salvatoris nostri contexta. Olympiodorus hic.

*Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Ecclâ. 10. 8. Sepes animæ, lex est divina. Qui ergo legem DEI contemnit, & divina prævaricatur mandata; qui falsâ cognitione de-

*Polyanth. Sacra, Tom. II.*

cidit in peccatum, cujus opifex est ipse callidus serpens; iste incautus, ac divinâ callus gratiâ, morsus serpentis perpetietur. Idem hic.

*Poma nova, & vetera, servavi tibi.* Cant. 7. 13. Quia nova, & vetera, poma sunt Decalogi, & Evangelii mandata; hic docemur servare mandatum, sicut pomum. S. Bonaventura in Pf. 118.

*Panem nostrum supersubstantialem.* Matth. 6. 10. intelligit S. Augustinus spiritualem, præcepta scilicet divina; quæ quotidie oportet meditari, & operari. hic Item V. Bedâ hic.

Data sunt decem præcepta mortalibus omnibus; & ad ea observanda quisque compellitur. Sunt hæc vectigalia annua Regi debita. Quis igitur persolvens debita hæc vectigalia Regi multam effugiet? S. Dorotheus Abb. de renuntiatione doct. 1.

Q 99

§. II.